

Azarias Sturtz Bernhard Behr

Disputatio De Iudiciis Seu Criminibus Publicis

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728669447>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 2. Sept. 1609
Sturcio, Azaria *la*

61
M

Disputatio
De
JUDICIIS
SEU CRIMINIBUS
PUBLICIS.

De qua

*Consensu atq; auctoritate nobilissimi & Ceorum
ordinis in illustri Roseto*


PRÆSIDENTE

Nobili & Clarissimo Viro,
DN. AZARIA STURCIO C.F.
JURIS DOCTORE

Publicè rationem redditurus est

BERNHARDUS BEHR
ex agro Brem. Saxo.

Habebitur disputatio in aedifici majori 2. Septemb.
initio ad horam sextam matutinam facta.




• ROSTOCHII

Prælo Reusneriano, Anno 1710

I. D. 8. 38.

RLL par 1609



1300

POSITIO I.



Ongruit bono & gravi praesidi, inquit J. Crus-
 Ulpianus, curare, ut placata & quiesca sit
 provincia quam regit; Quod non difficile ob-
 tinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus
 provincia careat: vel, ut Paulus lib. 13. di-
 cit, eam à talibus purget.

2. Idem sacra volunt literæ, dum testantur Deum Optimum
 Maximum gladium magistratui, ut malos coherceat, bonos
 contra illorum insultus & injurias defendat, concessisse & in
 manum tradidisse.

3. Gnavitor autem sibi cavendum putet, ne aut in defectu
 peccet aut in excessu, ne quid remissius vel severius statuatur,
 non det veniam corvis, vexet censura columbas, quo salvam
 & illasam conservet conscientiam, & aliquando Deo justissimo
 judici de talento sibi credito rationem reddere queat.

4. Obtinebit hoc & rectè officio fungetur suo, tum in alijs,
 tum in publicis præcipuè cohercendis criminibus, de quibus præ-
 sentem instituere placuit disputationem, si non levioribus ex-
 citatis rumoribus decipiatur, non temerè immeritos & insontes
 divexet & judicet; sed negotium plena disquisitione indaget
 & cuius crimini adæquatam & legibus conformem penam ir-
 roget.

5. Sunt autem publica judicia, quæ certa aliqua lego consti-
 tuta, ab uno quoque ex populo, pro interesse justitiæ, deferri ac-
 cusarique possunt.

6. Et sunt vel capitalia, ex quibus pœna mors naturalis vel
 civilis; vel non capitalia, veluti cohercitus aliqua in corpus, vel re-
 legatio: in utroque tamen iudicio damnatum infamia sequitur.

A 2

7. Hisce

Th. J. Lunde-
 man / Berol
 in an. 1608

7. *Hiscæ publicis judicijis aut dignitas Reipublicæ, aut salus privatorum vindicatur.*
8. *Reipublicæ dignitas in crimine læsæ Majestatis tam divi-
na quam humana vindicatur.*
9. *Illam lædunt blasphemæ, hæretici &c. & mortis supplicio
quandoq; puniri possunt.*
10. *In hanc committunt qui contra Imperatorem & imperij
statum aliquid moliuntur, quod varijs fieri modis jura docent.*
11. *Hoc crimen in Pontificem, cum nulla ejus de jure sit domi-
natio & potestas, non committi verius est, ut proinde ineptè
DD. scribere audeant, Imperatorem, si aliquid contra Papam
attenta verit, hujus criminis reum existere.*
12. *Clerici uti hoc crimen contra Imperatorem committunt,
ita quoq; ipse Imperator de hoc crimine inter clericos judicare
potest.*
13. *Hic anfractuosa & multùm à multis controversa occur-
rit questio: An etiam in Reges, Principes, Civitates supe-
riorem non recognoscences, læsæ Majestatis crimen committa-
tur? Certè cum idem illi sint in suis provincijs, quod Imperator
in orbe Romano, affirmandum censemus.*
14. *Rectè verò negamus hoc crimen læsæ Majestatis in princi-
pem inferiorè vel civitatè superiorem recognoscentè committi.*
15. *In Consiliarios, cum viscera & pars corporis principum
sint, quemadmodum & in Legatos, quorum corpora sancta esse
Varro scribit, si fuerint violati, impediti & retenti, hoc crimen,
rejecta quorundam distinctione, iidem committitur.*
16. *Pœna hujus criminis hodie est ultimum supplicium, quod
pro circumstantiis infligitur vel gladio, vel exustione, interdum
etiam dissectione in quatuor partes, quod & consuetudine in
Germania ubiq; ferè receptum.*
17. *Item confiscatio bonorum, quorum administratio & do-
minium statim, commisso delicto, ipso jure amittitur, licet
possessio.*

- possessio, secuta demum sententiâ, per fiscum vindicetur.
18. Propter atrocitatem in hoc crimine conatus pro effectu consummato, præsertim si externo quoque actu, certoque iudicio ista voluntas constiterit, punitur.
19. Pari modo ejusdem criminis conscj eadem poena quoque tenentur; attamen revelare nemo cogitur, si fortè machinationem istam probare nequeat: Nam deferens & non probans se tormentis subijcere debet.
20. An autem sacerdos, qui in confessione audivit adversus principem aliquid molientem, illud favore publica utilitatis revelare possit ac debeat, controversum DD. faciunt. Nos cum D. Luchero negantium castra sequemur.
21. Ut ab hoc delicto pater magis terreatur propter pœnam filij, commissio hoc delicto filij sunt infames, omniq; successione, testamenti factioe penitus privantur: Quod & in filiis ante delictum commissum natis verum est; secus in nepotibus.
22. Hereditates filijs rebellium delatae fisco, non etiam proximioribus ab intestato venientibus, applicantur.
23. Filia infamia non notantur, & lalcidiam insuper ex bonis maternis capiunt.
24. Si mater hoc crimen committat, filij patris l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. non tenentur.
25. Hoc singulare, omnes propter atrocitatem hujus delicti indistinctè torqueri posse.
26. Salus privatorum varijs vindicatur legibus, & primum L. Julia adulterium, quod definitur concubitus cum alterius uxore factus.
27. Hinc sequitur, quod maritus cum soluta congregiendi de jure civili propriè adulterium non committat.
28. Nec, si quis duas uxores eodem tempore duxerit, adulterium commississe dicitur.
29. In meretricem nuptam an adulterium committatur,

circa hanc materiam quæri solet? Si in meretricali perseveras
veris vita, negativam tenemus sententiam.

30. An autem cum sponsa alterius adulterium committatur,
difficilis, intricata ac multorum onerata commentarijs quæstio
est? Certè, cum inter adulterium & stuprum leges distin-
guant, negativa subscribimus sententia.

31. Requiritur in hoc crimine apertissima probatio, ut adul-
teri in ipso deprehendantur actu.

32. Si maritus ultra annum absuit, & reversus domum u-
xorem prægnantem reperit, adulterium commissum esse dici-
mus, itemq; aliis quibusdam modis.

33. Verum tamen adulterium à præsumptivo distinguimus,
quod conjecturis detegitur: osculum tamen, licet lascivum, legi-
timam adulterij commissi præsumptionem nõ inducit, ut mulier
dotem amittat.

34. Tempus accusationis adulterij est quinquennale ex jure
civili, sed post 60. dies utiles, omnes jure extranei tantum
cum inscriptione admittuntur.

35. Hoc jus accusationis maritus, si & ipse minus castè vixea-
rit, vel post delictum commissum sciens uxorem cognoverit,
amittit.

36. Vxor tamen maritum criminaliter de adulterio accusare
nequit, licet rectè ad separationem matrimonij agat.

37. Pœna hujus delicti varia & multiplex fuit, sed sangui-
nis pœna ordinaria à Constantino imposita.

38. Hoc non prætercundum, quod pater filiamfam. una cum
adultero in ipso turpitudinis actu in domo sua vel generi im-
punè interficere possit; maritus verò adulterum tantum, &
quidem illaudatæ famæ hominem, in propria domo in ipso actu
deprehensum.

39. Ex eadem L. Julia punitur & stuprum, quod est coitus
illicitus, in virginem viduamvè honeste viventem sine vi
perpetratus.

40. Ergo

40. Ergo non in inhonestas, veluti meretrices, committitur, qualem tamen non dicimus esse virginem, quæ amore captæ vehementiori amanti sui copiam fecit.

41. An autem vidua post mortem mariti luxuriose vivens seu stupro se contaminans, æquè ac si adultera facta esset, dotem amittat, ambiguum interpretes faciunt. Nos negativam, ut humaniorem, amplectimur sententiam.

42. Pœna jure civili est dimidiæ partis bonorum amissio in personis honestis, in humilioribus corporis cum relegatione coercitio. Hodie verò aut ducenda aut dotanda, & hoc ipsum ex præscripto juris divini & canonici in praxi obtinere Iulius Clarus docet.

43. Sanè violentum stuprum pœna L. Jul. de vi publica vindicatur: Constitutione verò Carolina pœna capitis imponitur.

44. Huc etiam referimus Sodomiam, cum masculus cum masculo, vel muliere contra naturam, venerem exercet. Hujus pœna omninò est capitalis.

45. Qui cum brutis coeunt, ex recepta consuetudine cum bestia comburi solent; & sufficit in hoc crimine conatus ad sui proximum.

46. Lenocinium itidem capitali pœna subijcitur.

47. Incestus si cum specie aliqua fornicationis, veluti adulterio vel stupro committatur, graviores pœnas quam adulterium incurrit.

48. Simplicem fornicationem, quamvis jure civili non puniatur, non tamen in bene constituta Repub. tolerandam esse putamus.

49. Sequitur L. Cornelia de sicarijs, quæ homicidas ultore ferro persequitur.

50. Est autem homicidium, quando homini violenter vita adimitur.

51. Ho-

51. *Hominem hinc dicimus simpliciter, non aetatis, non sexus habita distinctione.*

52. *Hinc quaritur, an is sit homicida, & ordinaria legis Corneliae pœna adficiendus, qui partum abegit, vel ut mulier abortum faceret in causa fuit? Nos sub distinctione rem planam faciemus.*

53. *Mulierem autem medicamenta, ut nunquam imprægnetur, adsumentem, ut homicidam esse puniendam, certi juris esse putamus.*

54. *Si philtrem vel poculum amatorium ad conceptionem propinetur, & exinde præter solitum & propositum mors sequatur, arbitrariam esse pœnam; Sin verò ad conciliandum amorem, ultimum supplicium locum habere asserimus.*

55. *Pœna homicidij ordinaria est gladius, posthabita omni personarum conditione: nec statutum, pecuniariam inducens pœnam, admitti debet.*

56. *Vt autem hæc pœna locum habeat, necesse est ut quis dolo malo, vel occidendi animo hominem occiderit.*

57. *Quare à pœna ordinaria excusantur, qui inculpatam tutelam probare possunt, secundum quod temperamentum etiam generalia statuta sunt declaranda.*

58. *Sic & infantes innocentia consilij tuetur, furiosos fati infelicitas excusat, ut nec pecuniaria pœna eis irrogari possit.*

59. *Si post homicidium commissum furor superveniat, pœna corporalis executio suspendenda est.*

60. *Qui vero Titium occidere volens, Cajum interfecit, cum dolo non careat, ordinariâ pœnâ tenebitur.*

61. *Idem de eo, qui vulnere tantum animo aliquem interemit, statuendum.*

62. *De mandante aliquem vulnerare, & ne occidat expressè prohibente, si mors inde sequatur, quid statuendum, magna est DD. concertatio? Nos ordinaria ipsum subjacere pœna hauri dubitamus.*

63. Sic,

63. Sic, si plures aliquem lethaliter vulneraverint, omnes, cum de certo occisore non constat, de interemto tenentur.
64. Imò si quis à pluribus lethaliter vulneratus, & ab alio postea interemtus fuerit, adhuc de occiso omnes tenentur.
65. Pugilum & aliorum, si virtutis, non lucri causa instituaturs concertatio, pro homicidio non punitur, ut ne quidem de damno ex L. Aquilia conveniri queant.
66. Illud notandum, cum hodie gladiatorum gerendorum usus sit permissus, generali consuetudine conatum pro effectu, ut de jure vereri constitutum fuit, in homicidio non puniri.
67. Qui tamen pecuniam, ut alium occideret, accepit, qui dicitur Assassinus, & omnem, quo res in effectum deduceretur, lapidem movit, ordinaria pena puniendus est, effectu etiam non secuto.
68. Eiusdem L. Cornelia pena venefici, qui hominis necandi causa venena parant, propinant vel in publicum vendunt; diabulo sese devotent; & magicis incantationibus utuntur, cohercentur. Hodie ut incendiarij igne cremantur.
69. Et quamvis ex veneno mors secuta non fuerit, vel nondum venenum exhiberi potuit; & lamia illusionibus diabolicis deludantur: & incendium literis & verbis minitatum, nondum ad effectum deductum, tamen, quia per illos non stat quò minus res ad effectum ducatur, voluntas, tanquam in atrocissimo crimine, pro effectu punire debet.
70. Mathematici, qui supersticiosè astrologià abutuntur, vel ex nativitate hominis de ejus fortuna & infortunio vaticinantur, L. Cornelia item comprehenduntur.
71. Persequitur & eos d. L. Cornelia, apud quos libri artem magicam continètes inveniuntur; Item eos qui opem & auxiliù horum implorant. Hodie tamen jùdta constitutiones arbitraria pena afficiuntur.
72. Succedit L. Pompeja de Parricidis, quæ parricidas in-

B

sutos

sutos euleo cum cane & gallo gallinaceo & vipera & simia vel
in mare vel in amnem projci jubet, ut omnium elementorum
usu vivi carere incipiant, & ijs calum superstitibus & terra
mortuis auferatur.

73. Hujus criminis Atheniensium legislator Solon nullam,
quod tanta immanitatis haut quenquam exiturum putarit,
legem tulit.

74. In hanc pœnam incurrunt ij solum, qui parentum libe-
rorumq; appellatione continentur: reliquos Cognatos & adfi-
nes occidentes pœnâ L. Cornelia adficiuntur.

75. Pater verò filium, vel filius patrem patrie proditorem
occidens, parricidij crimen non committit.

76. Parentes quoq; in lecto liberos opprimentes, nisi de dolo
eorum constet, judicij arbitrio puniendos putamus.

77. De eo, qui pravia exheredationis causa ad parricidium
perpetrandum est inductus, quid juris statuendum, non omnes
consentiunt? Nos illum mitiori plectendum pœna autu-
mamus.

78. Propter atrocitatem aliàs in hoc crimine conatus pro
effectu punitur: conscij & ejusdem participes criminis, ordi-
naria pœna adficiuntur.

79. Est & L. Cornelia de falso, quod est dolosa veritatis
imitatio.

80. Varijs hoc crimen perpetratur modis, ut: Consensu, quan-
do quis alium per contractus circumvenit & fallit, pluribusq;
vicibus in solidum eandem rem duobus vendit.

81. Qui autem rem alienam sciens alicui oppignorat, non fal-
si, sed stellionatus crimen committit.

82. Verbis, cum testis in judicio dolo malo falsum dixit, vel
interrogatus verum subtrahit.

83. Qui vero in judicio capitali dolo malo deposuit contra in-
nocentem ad offensam, ut homicida merita punitur.

84. Teã

84. Testis, qui us verum perhiberet testimonium, pecuniam accipit; Et qui in iudicio contrarium ejus, quod dixerat extra iudicium, deponit, extra ordinariè merito plectuntur.

85. Scriptis, si quis falsa instrumenta componit, dicitur; instrumenta, rationes, acta, libellos, cautiones, chirographa, epistolas scienter & dolo malo in fraudem alterius ledit, corrumpit, falsè subscribit, falsa sigilla appendit, aut aliorum dolosè scripta imitatur.

86. Hic illa discussione dignissima occurrit questio. An Notarius super contractu per se invalido falsum conficiens instrumentum, ut falsarius puniri debeat? Extra ordinem talem puniendum ex certis fundamentis asserimus.

87. Qui legatum sibi in testamento alieno ex voluntate testatoris adscribit, ex Scto Liboniano crimen falsi non evitat: secus si in testamento nuncupativo id factum fuerit, & per testes, sibi legatum à testatore esse relictum, probare possit.

88. Abusu fit falsum, si quis maliciosè & fraudulentè utatur falsis seu adulterinis mensuris, ulnis, ponderibus &c.

89. Nominis vel cognominis quoq; mutatio, si in fraudem alterius fiat, falsi crimen rectè dicitur.

90. Eadem pœnâ, qui alienis falsis & illicitis utitur insignibus, pro comite, equite, nobili, doctore, notario, cum non sit, se gerit, cohercetur.

91. Silencio committitur, si quis testamentum vel codicillos, ne de illorum constet veritate, suppressit, comburit vel occultat.

92. Facto perpetrât falsi crimen, qui nummos aureos vel argenteos adulterat, radit, corrumpit, viciat, tingit, fingit, constat, vel quoquo modo monetam, cujuslibet valoris, novam excudit. Pœna horum constitutionibus exasperata est, & flammis comburuntur.

93. Qui falsam, plumbeam, stanneam pecuniam expendit, ordinaria pœna de falsis tenetur.

94. Qui vero monetam justî ponderis ac valoris propria auctoritate percusserit, gladio punitur.

95. Probam monetam majori valore expendens, quam legibus & constitutionibus esse definitum, ex constitut. Ferdinandi Imperatoris de re nummaria Anno 59. promulgata, omni pecunia, in qua contrahitur, mutandus est.

96. Non certe minorem meretur pœnam, qui monetam probam vultu Imperatoris signatam respuit.

97. Pœna falsi erat, ut si criminaliter de falso agebatur, liberi deportarentur, servi necarentur. Hodie est arbitraria & ob qualitatem factorum, quæ in hoc genere sunt varia, modo hanc, modo aliam, modo graviolem, modo mitiorem infligi pœnam, & certam pœnam in hoc judicio præscribi non posse, certum est.

98. Alia itidem L. Julia est quæ vim persequitur & publicam & privatam.

99. Illa fit vel à persona publica vel in personam publicam, itemque potissimum in armis.

100. Inter varios hujus criminis modos, quando privatus contra principis auctoritatem nova instituit vectigalia, refertur, vel vi amplius exigit, quàm telonij constitutio postulat.

101. Qui verò repressalias literas seu clarigationes à suo principe consecuti sunt, ut damna graviora à peregrinis sibi illata per pignorationes in bonis illorum factas sibi resarcire valeant, non censentur vim inferre.

102. Pœna vim publicam refranans olim deportatio fuit: Hodie, extra grassationis, incendiij, cædis & effractionis causam, pœna est arbitraria, veluti si oppugnationi domus effratio non fuerit subsecuta.

103. *Privata vis dicitur, quæ sine armis inferitur, & in dubio semper tanquam mitior præsumitur facta, ut vis publica quandoq; ad privatam referatur, non contra.*

104. *Pœna hujus est tertiæ partis bonorum cum infamia publicatio: Hodie utiq; arbitraria.*

105. *Hic agi poterit de raptu, quando quis virginem vel viduam, non etiam meretricem, libidinis explendæ causa, improbè vel vi abduxerit.*

106. *Pœna raptus ultimum est supplicium, quo non tantum hujus sceleris auctores, sed & complices afficiuntur.*

107. *Si raptor mulierem raptam non cognoverit, quia ratio legis cessat, dictæ pœnæ locus haut erit. Secus est in moniali.*

108. *Si raptus matrimonij contrahendi causa fiat, vel post raptum prior dissensio transeat postmodum in consensum, & matrimonium contrahatur, pœna raptus jure Canonico locum non habebit; aliud de jure civili obtinet.*

109. *Si mulier rapiat virum vel mulierem, aut vir virum, pœna raptus cessat.*

110. *Eadem L. Julia peculatus, qui definitur à Labeone pecunie publicæ aut sacræ furtum, non ab eo, cujus periculo fuit, factum, punitur.*

111. *Si res sacra sit & ex loco sacro surripiatur, sacrilegium propriè vocatur, & pœna ejus pro qualitate delicti capitalis, exustio, damnatio ad mortem, suspensio, perpetuum exilium. Qui verò res sacras ex loco profano, vel contra res profanas ex loco sacro surripit, sacrilegus propriè non dicitur. Secus de jure Canonico.*

112. *Si res vel pecunia auferatur publica, peculatus propriè dicitur. Publicam autem pecuniam hîc eam solam, quæ ad Rempub. sive urbem Romanam, vel ad Cæsarem pertinet, intelligimus.*

113. Qui igitur civitati inferiori vel municipali pecuniam furrripuerit, furti tantum crimen commississe dicitur.
114. Pœna peculatus ex d. L. Iulia est deportatio; in iudicibus eorumq; administris ultimum supplicium.
115. Aliud iudicium publicum descendit ex L. Fabia de plagiarijs, quando liberi hominis vel servi alieni suppressio fit dolo malo.
116. Pater tamen propter summam egestatem filium distrahens, hujus legis pœnam non meretur. Matri verò hoc jus, cum filium in potestate non habeat, rectè denegatur.
117. Pœna L. Fabia primò fuit pecuniaria, postea gravior esse cœpit, ut metalli sive exilij; aliquando etiam pœna mortis infligitur.
118. Alia est L. Iulia de ambitu, & datur contra eos, qui clam pecuniâ & largitionibus honores, magistratus aut sacerdotium ambiunt.
119. Cessavit in urbe hæc lex, cum principis fuit non populi creare magistratus: in municipijs tamen, in quibus adhuc jus creandi magistratus penes populum est, si quis magistratum aut sacerdotium contra hanc legem petierit, centum aureis & exilium multatur.
120. Notetur autem, ambire magistratum, si non fiat contra legem & illicitis modis, aliàs permissum esse,
121. Si Consiliario Principis officij consequendi gratia pecunia data fuerit, pœna L. Juliae de ambitu locus erit.
122. Illud addendum, quod hac lege damnatus, si alium ejusdem criminis reum convicerit & prodiderit, in integrum restituetur famamq; recipiat, licet alias generaliter nemo impunitatem & restitutionem in integrum, eo nomine, quod

quod alium ejusdem facinoris participem vel reum prodiderit, consequatur.

123. Si etiam quis reus vel accusator domum judicis ingrediatur, gratiæ videlicet aucupandæ causa, per L. Iuliam judicariam in legem ambitus committit.

124. Aliud Iudicium à Iustiniano positum est L. Iulia re-
pecundarum, qua cohercentur magistratus & alij, qui in
publico constituti officio, pecuniam, ut faciant aliquid vel
non faciant, accipiunt.

125. Xenia tamen & munera quædam modicè, hoc est, si
centum aureos in anno non excedant, accipere possunt; à sobri-
nis autem & propiori conjunctis gradu in infinitum.

126. Datur ex hoc crimine actio civilis in quadruplum ejus
quod illicitè datum est.

127. Hæc actio etiam contra heredes intra annum à morte
rei dirigitur; imò post annum etiam, si ex eo quid ad eos
pervenisse dicatur, competit.

128. Quando autem criminaliter agitur, pro modo & quali-
tate sceleris, pœna est extraordinaria.

129. Subsequitur L. Iulia de annonæ, quæ tenentur ij, qui
annonam arctiorem reddunt, & dardanarij, pantopolæ & se-
plasiarij aliàs vocantur.

130. Annonæ autem appellatione, omnia quæ ad victum
humanum pertinent, veniunt.

131. Pœna hujus criminis itidem est arbitraria.

132. Postremo ab Imperatore relatum publicum iudicium
est de residuis, quod committitur quando quis pecuniam pub-
licam in usum publicum destinatam retinet, vel in usus suos
converterit. Contrarium ejus est reliquum.

133. Pœna hujus delicti est, ut præter pecuniam quam reus
debet, tertiam partem ejus pendat; hodie pœna est capitalis
Et in heredem quoq; hoc iudicium transit.

Corol

Corollaria.

I.

An stillatio sanguinis homicidij sit probatio?

II.

An Clericus, si deponat falsum, coram iudice
Laico puniri de falso possit?

III.

An Sagarum in aquam immersio probationem
contra eas faciat?

IV.

An verè fiant quæ accidunt sagis?





103. *Privata vis dicitur, quae sine armis inf
bio semper tanquam mitior praesumitur facta
quandoq; ad privatam referatur, non contra.*

104. *Pœna hujus est tertiæ partis bonor
publicatio: Hodie utiq; arbitraria.*

105. *Hic agi poterit de raptu, quando quis
duam, non etiam meretricem, libidinis explen
bè vel vi abduxerit.*

106. *Pœna raptus ultimum est supplicium,
hujus sceleris auctores, sed & complices affici*

107. *Si raptor mulierem raptam non cogno
gis cessat, dictæ pœnae locus haut erit
moniali.*

108. *Si raptus matrimonij contrahendi cau
raptum prior dissensio transeat postmodum
matrimonium contrahatur, pœna raptus jure
non habebit; aliud de jure civili obtinet.*

109. *Si mulier rapiat virum vel mulierem,
pœna raptus cessat.*

110. *Eadem L. Julia peculatus, qui desinit
cuniae publicæ aut sacrae furtum, non ab eo, cui
factum, punitur.*

111. *Si res sacra sit & ex loco sacro surripit
propriè vocatur, & pœna ejus pro qualitate
exustio, damnatio ad mortem, suspensio, per
Qui verò res sacras ex loco profano, vel con
ex loco sacro surripit, sacrilegus propriè n
de jure Canonico.*

112. *Si res vel pecunia auferatur publica,
dicitur. Publicam autem pecuniam hîc ea
Rempub. sive urbem Romanam, vel ad C
intelligimus.*

B 3

